

**Dietrich I. von Liechtenstein als Zeuge Herzog Leopolds des Glorreichen.**

(Admont, 4. Juni 1202.)

Inseriert in der Urkunde, durch welche König Rudolf I. dem Kloster Sekkau die diesem vom Herzog Leopold verliehenen Freiheiten und Rechte bestätigt.\*)

(Wien, 17. Februar 1277.)

Rudolfus dei gracia Romanorum Rex semper augustus vniuersis Imperii Romani fidelibus presentes litteras inspecturis, Imperpetuum. Regalis excellencia tunc sui nominis titulos ampliat et extollit, cum loca diuino cultui dedicata, ac personas inibi domino famulantes, benigno fauore prosequitur, et ipsarum petitionibus fauorabiliter se inclinatur. Nouerint itaque vniuersi et singuli presencium inspectores, quod constitutus in Maiestatis nostre presencia Honorabilis . . . Seccouiensis Ecclesie Prepositus, nobis humiliter supplicauit, vt priuilegium quoddam, sibi et Ecclesie sue ab Illustre quondam **Lupoldo Duce Austrie et Styrie** concessum fauorabiliter et indultum, eidem et Ecclesie sue predictae confirmare, de nostra gracia dignaremur. Cuius priuilegii tenor talis est: In nomine sancte et indiuidue trinitatis. **Leupoldus dei gracia Dux Austrie ac Styrie.** Omnibus xpi (christi) fidelibus. Imperpetuum. Quia diuine dispensacionis ordinacio, nos Orientalis ac Styriensis Ducatus principatum administrare voluit, dignum nos deo Ministerium exhibere credimus, si Religiosas domos, et omnia loca diuino cultui mancipata, manutenere, et clipeo protectionis nostre defensare et temporalium stipendiorum subsidiis ampliare studuerimus. Igitur inter cetera Monasteria, quorum nos deus aduocatum esse constituit, Seccouiensem Ecclesiam ad meliorem statum promouere cupientes, omnibus iudicibus sub principatu nostro constitutis, sub obtentu gratie nostre, districte precipimus, quatinus super prediis iamdicte Ecclesie, absque speciali mandato nostro nullius querimoniam audire, uel aliquid Judicare presumant. Quoniam Ecclesie nobis aduocacionis iure attinentes, predia sua, absque audientia, uel speciali commissione nostra amittere de iure non possunt. Confirmamus eciam pretaxate ecclesie, siluam Mulwalt, ei contiguam, cum omnibus attinentiis, et vtilitatibus quesitis, et inquisitis, pratis. et pascuis. exitibus et redditibus, fossatis et fodiendis. et molaribus ibidem excidendis. Preterea confirmamus sepedicte Ecclesie mansum vnum in Hucinpuhelen. quem **Pabo et Engeschalchus de Plaien**, eidem contulerunt Ecclesie. Vt autem hec nostra confirmacio in posterum rata habeatur et inconuulsa. hanc paginam conscribi, et sigilli nostri inpressione muniri iussimus. Huius confirmacionis testes sunt. **Vlricus de Stubenberg. Perhtold dapifer de Emerberch. Albertus pincerna de Grimmenstayne. Herrant de Wildonien. Dietrich de Liechtensteine. Gundacher de Styra. Ortolfus. Hartnit de Volchinsdorf. Ovlrich. Liutold, Ottacker. Heinrich. Ovlrich de Chustelwanch. Otto. Ottacker. Walter. Hartunch. Dietrich. Heinricus. Arbe. Otto. Otacher. Diepoldus officialis. Diepoldus venator. Petrus saltarius. et alij quam plurimi.** Data apud Admont II. Nonas Junii. anno ab Incarnatione domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> II. Indictione VI.<sup>ta</sup>. Nos igitur memorati prepositi deuotis supplicacionibus inclinati, prescriptum priuilegium cum suis articulis vniuersis, eidem, et Ecclesie sue predictae, de benignitate Regia liberaliter confirmamus. innouamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmacionis, et innouacionis infringere, uel eidem in aliquo, ausu temerario contraire. Quod qui fecerit, grauem nostre indignacionis offensam se nouerit incursum. In cuius rei testimonium, et robur perpetuo valiturum, presens scriptum Maiestatis nostre Sigillo iussimus communiri. Datum Wienne. XIII<sup>o</sup> Kaleñ. Marcij. Indictione V. Anno dominice Incarnacionis Millesimo. Ducentesimo. Septuagesimo. Septimo. Regni vero nostri Anno Quarto.

(Mit dem wohl erhaltenen, an rotgelber Seidenschnur hängenden Siegel König Rudolfs; Umschrift: † Rvdolfus Dei gracia Romanorum regis semper augustus. Auf der Rückseite ist das Sekretiegel mit dem Adler aufgedruckt; die Umschrift hier verwischt.)

\*) Original-Pergament im steiermärkischen Landesarchiv zu Graz.